

ad tempora ætati Apostolorum vicina tantum referri.

## §. 19.

Sed quam ridiculum & insulsum illud sit, nem non videt: quasi quod illis temporibus interdictum & prohibitum, proque doctrinâ Dæmoniorum agnatum & proclamatum, posterioribus seculis prohibere liberum, licitum, sanctumque fuerit: quare nullo modo concluditur; prohibere nuptias tempore Apostolorum, & proximè sequentibus seculis doctrina fuit Dæmoniorum: ergo posterioribus seculis, eadem prohibitio nuptiarum, non est doctrina Dæmoniorum.

## §. 20.

Ulterius hunc Pauli locum ad veteres illos hæreticos torquent Papistæ, vid: ad *Marcionitas & Manichæos*, qui nuptias in universum damnarint, ut quiddam malum & immundum. Id vero re ipsâ sentire etiam Pontificios ex decretis illorum satis liquet, quod & infra prolixius demonstrabimus: quare ad ipsos etiam Pontificios & horum Patronos Jesuitas locus Pauli accommodandus est, quia Apostolus doctrinam non primis saltem temporibus inservientem, sed perpetuam tradere voluit.

## §. 21.

Deinde non de Personis magis, quam de re ipsâ loquitur Apostolus, quæ, ubicunque similis est, eandem damnationem meretur, quicunque illi sint, qui sic doceant: præterea verba Pauli disertè cos perstringunt, qui prohibent conjugium, sive in universum, sive in certo hominum ordine: ut, Pontifices Romani interdicunt mancipiis suis nuptias:

B 3

Sic